

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2021-2022  
À rendre avant le mardi 30 novembre (casier au DSA)

### **Version latine n°6 : deux Tarquin et deux Tullia**

*Vers 535 av. J.-C. : successeur de Tarquin l'Ancien, le roi Servius Tullius a marié ses deux filles aux fils de son prédécesseur. Mais l'un d'eux (le futur Tarquin le Superbe) considère que le trône devrait lui revenir...*

Hic L. Tarquinius — Prisci Tarquini regis filius neposne fuerit parum liquet ; pluribus tamen auctoribus filium ediderim — fratrem habuerat Arruntem Tarquinium, mitis ingenii iuuenem. His duobus, ut ante dictum est, duae Tulliae regis filiae nupserant, et ipsae longe dispares moribus. Forte ita inciderat ne duo uiolenta ingenia matrimonio iungerentur, fortuna, credo, populi Romani, quo diuturnius Serui regnum esset constituique ciuitatis mores possent. Angebatur ferox Tullia nihil materiae in uiro neque ad cupiditatem neque ad audaciam esse ; tota in alterum auersa Tarquinium eum mirari, eum uirum dicere ac regio sanguine ortum : spernere sororem, quod uirum nacta muliebri cessaret audacia. Contrahit celeriter similitudo eos, ut fere fit : malum malo aptissimum ; sed initium turbandi omnia a femina ortum est. Ea secretis uiri alieni adsuefacta sermonibus nullis uerborum contumeliis parcere de uiro ad fratrem, de sorore ad uirum ; et se rectius uiduam et illum caelibem futurum fuisse contendere, quam cum impari iungi ut elanguescendum aliena ignauia esset ; si sibi eum quo digna esset di dedissent uirum, domi se propediem uisuram regnum fuisse quod apud patrem uideat. Celeriter adulescentem suae temeritatis implet ; prope continuatis funeribus cum domos uacuas nouo matrimonio fecissent, iunguntur nuptiis, magis non prohibente Seruio quam adprobante. Tum uero in dies infestior Tulli senectus, infestius coepit regnum esse ; iam enim ab scelere ad aliud spectare mulier scelus.

Tite-Live